



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt XI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133

omnis qui est humano auxilio destitutus. Vide quo respiciat Moyses. Qui habent incircūcisum cor & durā ceruicem ad audiendum & suscipiendū uerbū dei, ut fidem non habent ita quoq; non habent charitatem, ut sentiunt contra deū, ita etiam agunt cōtra proximū, quē contēnunt, non adiuuant, ei obloquūtur, iniuriā faciunt, non iuste iudicant, sinunt opprimi, adulantes potentioribus & ditioribus licet iniustis &c. Id quod hic lege prohibet ni uelint dominū habere hostem sibi. *Quin agite, inquit, potius sitis peregrinis & indigentibus quē admodū olim cupijstis uobis fieri in terra aliena (quæ est lex charitatis) & ita facite alijs quemadmodū fecit uobis dominus, id quod circumcisi cordis deoq; grati erit officiū, Deus in tua in proximū charitate querit tuum lucrū. Si non dederis egenti, tamen deus dabit ei uictum & uestitū & habebit quo indiget absq; te, & tu maledictioni subiacebis &c.*

Et dat ei.] Heb. ut det eis. [Sicut astra.] Gen. 15.

CAPVT XI.

Vult deū cognosci ex operibus eius, multo uero magis ex uerbis eius, & credentibus uerbo benedictionē domini promittit, nō credētibus maledictionē cōminatur. atq; hæc est summa. [In Heb.] Obserua obseruationes & statuta & iura & præcepta &c.

Filiorū & posterorum meminit, quia his per patres uult omnia notificari, sicut infra uides. Docete, inquit, filios &c. id quod & supra dixerat.

Disciplinam domini.

Vocat opera (ut uides) quae fecerat dominus, per quae erudierat eos & deus esset qui iudiciū ferret in impios, & pater esset illorū quos susciperet. Comparat uero primū Aegyptios cum Hebræis, & illos ait perditos, hos seruatos. Deinde Hebræos inter se, hoc est impios Hebræos cum pijs, & illos ait absorptos terra, alios aliter periisse, hos uero seruatos, ne hic hypocrisis fucum haberet. Nos sumus Hebræi, propterea seruauit nos dominus, cum supra dictum sit in primo praecepto. Faciens misericordiam &c. Praeterea sunt in his mysteria quae scriptura nobis cōmendat. Transitus maris rubri & praecessio nubis, figura baptismi Christiani est quo baptizamur aqua & spiritu sancto. 1. Co. 10. Hic perit Satanæ regnum, seruatur dei populus. Seditio & plaga Dathan & Abiron, iudiciū est in eos qui cum ex populo dei uideri uolunt, & tales ut ceteris preferantur, seditionē mouent contra uerbū dei, suae sapientiae & iustitijs innixi, quos tradit Paulus Satanæ ut discant non blasphemare. Petrus uocat, Sectas perditionis &c. Quibus & psal. imprecatur, Veniat mors super illos & descendat in infernū uiuētes &c.

Lacte & melle manantem.

Id est omni copia uictus abundantē, sicut clare uides,
Nu. 13. Venimus in terram &c. De pluuia dicens,
hoc significat, Terra quidē omnia fert abunde, sed be-
nedictione domini ē coelis, idq; adeo manifeste ut nega-
ri non possit. Nam pluuia ē cœlo irrigatur, non edu-
ctis super agros aquis ex fluminibus, id quod fieri nō
potest, nam montosa terra est, quemadmodū in Aegy-
pto eductis ex Nilo & fluminibus aquis fœcundatur
terra &c. Cum ergo illic omnia ē coelis expectanda
sint, ipsa etiam necessitas admonebit te dei tui.

Semper inuisit, Id est nisi ipse illic pro modo
singularū anni partium temperet omnia ē coelis, iam
frigus, iam calorē, iam pluiam, iam serenitatem &c.
tribuens, terra quæ alioqui fluit lacte & melle nihil
proferet. Hic profecto textus admonet totā Germaniā
fidei & fiduciæ in deū de uictu, ut taceam alias regi-
ones. Contēnentibus uerbi dei uenire famem, scriptura
ræ sæpe testantur.

Temperaneam & serotinam.

Nihil aliud est q̄ apto tempore et cōmodam pluiam.
Hieronimus ferē semper transfert temporaneum ubi
matutinum oportebat transferri.

Ponite. &c. *Supra ca. 6.*

Quādiu &c. Heb. Secundū dies cœli super terrā:
Si enim non abiccissent uerbum dei, adhuc hodie ha-
berent illas terras qui iam nullas habent, ut uideamus

uerbum dei quod cōminatum est eis esse uerax.

Si enim.] Hęc rursum est benedictio obedientibus uerbo, de qua & ante diximus. De maledictione super Garzim & maledictione super Hebal, uide infra cap. 27. & 28.

Oīs locus, scilicet trans Iordanē. His carnalibus significabat dominus ut nihil diffidamus, tantū enim accipiemus quantū credere possumus, quantū sensus humanus non capit. Vide hanc promissionem & Iosue. 1. Sicut illis ampliabit terram, ita credentibus ampliat iustitiam, ut crescant ex fide in fidē, ut interim nō dicam q̄ credentium est omnis terra & quicquid est creaturarum, sed per fidem.

Termini quatuor terrę promissę. Ad meridiē desertū Arabię. Ad aquilonē mons Libanus. Ad orientem flumen Euphrates. Ad occidentē mare magnum siue mediterraneum. Quę omnia non possiderunt, nisi sub Dauide & Salomone, ut ueritas uerbi dei uideretur q̄ dare potuit quod promiserat, & auferre æquo secundū uerbum quod prędixerat &c. de quo supra diximus ex Iudicum. 2. & 3.

Terrorē.] supra ca. 2. Qui putātur fortiores nobis aduersarij ueritatis trepidāt & timēt si uideres eorū corda &c. Iuxta uallem &c.] In Heb. tantū est iuxta uallem Morę.

Super mōtes ponūtur benedictiones & maledictiones, ut etiā ipsi montes sint harū monumēta posteris.

Sic Iacob erigebat tumulū testimoniij, Gen. 32. Et duæ semis tribus altare ad Iordanem.

CAPVT XII.

Vides quæ uelit Moyses oīa fieri ex fide, sine qua oīa opera etiam legis sunt impietas. Quid enim hactenus dixit quod nō ad fidem attineat? Necessse erat hoc ceterū fundamentū præstrui anteq̄ de legis operibus aliquid meminisset, ut legis hypocrisis condemnaret quæ in opera respicit relicta fide, cum tamen omnia alia sine primo præcepto nihil sint, quid enim deum coles si deum non habes? Iam uero cum singulares fert leges usq̄ adeo à primo fundamento non recedit, ut clare ostendat totum ædificium illi fundamento inniti. Alioqui cur in primis contra idola scriberet & de loco cultus dei? Item, cap. sequenti de falso propheta & seductoribus &c. Tota uero lex Moysi secundū Christum in duas leges diuisa est. Altera est, Diliges dominū deum &c. Altera, Diliges proximū &c. illa prima tabula, est hæc secūda. In his est regnū iustitiæ dei. Omnia uero & tam multiplicia legis diuinæ opera externa sunt signa tantū internæ iustitiæ, quibus ostenderunt pij sese credere deo, sese diligere proximū, Hypocritæ autē relicta ueritate, ex signis quærebāt ex lege cōtra legem iustitiā, de quo supra monuimus. Iacobo qui spi